GENERATIO MOLARUM EX PRINCIPIIS NOVIS DEDUCTA. SPECIMEN...

Andreas Elias Büchner, Heinrich Friedric Apel

Digitized by Google

GENERATIO MOLARVM EX PRINCIPIIS NOVIS DEDVCTA.

SPECIMEN INAVGVRALE

QVOD

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BV̈CHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAESIDE,
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA CONSEQVENDIS HONORIBVS

PVBLICE DEFENDET

HENRICVS FRIDERICVS AVGVSTVS APEL

LIPSIENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE D. VI. SEPTEMB. A. O. R. MDCCLX.

EX OFFICINA HENDELIANA.

Digitized by Google

Digitized

§. I.

Non fungorum inſtar creſcimus homines e terris, aut e coelo dimittit nos Iupiter; ſed iuxta naturae, admirando modo, naſcimur leges, omnibus omnino praeſcriptas animalibus, virorum cum feminis congreſſu effičti atque parati. Vtriusque ſexus, opus eſt, generationi dicata concurrant organa. Vir ſuum debite applicare membrum decentique ſeminis gaudere conſtitutione, femina in muliebrem conuenienter illud recipere debet ſinum, ſanaque internarum partium inſtructa eſſe valetudine *a*). Plusne tamen huic quae conſecratae negotio ſunt virorum, aut, quae conceptionem ſpectant, mulierum potius, admirationis mereantur partes? ad abſtruſiſſimum hoc argu-

mentum animum quotieſcunque intendo meum, dubius toties atque anceps ſoleo haerere.

a) Ridiculum itaque ea propter Tholoſani pariter atque Anglicani Collegiorum pronunciatum eſſe, quis eſt, qui non videat, vi cuius, *prius illud*, feminam illuſtrem, quae ex mariti amplexibus, in ſomno repraeſentatis, vi imaginationis, grauidam ſe factam affirmauit, a Medicis illi patrocinantibus ſeductum, ab adulterio abſoluit: *poſterius* autem legitimos renunciat liberos, quos vxor, abſente diutius etiam marito, inter quatuor tamen commorante maria, peperit. Ad quam legem vid. *Th.* WOOD *Notitia Angliae; Oxon. 1686. p. 117.* & *Gottlieb* MÜLLERS *zufaellige Gedancken, über ein beſonderes Engliſches Ehegeſez; Leipz. 1755. 8v.*

§. II.

Duplicis autem generis, in vtroque ſexu, eas inprimis eſſe partes, *externas* alias, alias *internas*, & inter eos conſtat, qui primis tantum artem noſtram deguſtarunt labris. Sed de illis prioribus curatius in praeſenti diſſerere, congruum non videtur. Celauit eas, & in ima, abiectas quaſi, totius corporis regione abſcondidit natura; celat ipſe pudor, neque, CELSI iuxta effatum a), *ſermonis pudorem & artis ſimul ſervare praecepta, adeo etiam facile eſt.* Internas autem, ſpe freti, defuturum neminem, cui honeſtum non ſit atque laudabile, gratam aliquando, in matrum vtero, vitae antehac actae recolere memoriam, partiumque, quarum virtute accepimus eam, atque organi, quo viximus, texturam, attento reſpicere animo, omni inuoluere ſilentio non putamus.

a) *de Medicina Lib. VI. Cap. 18.*

§. III.

Digitized by Google

§. III.

Poſcit tamen hanc a nobis delineationem ipſa etiam dicendorum ratio, atque argumenti, quod exponendum ſuſcipimus, natura ac indoles. In omni enim Medicina, clinica aeque ac forenſi, Anatome niſi facem accendat, vti nihil eſt, quod non ignoretur: ita *de Molarum generatione* in praeſenti dictura, quo clarius intelligantur, noſtra vtique refert, aut, quae partibus huc ſpectantibus ſecundum naturam ineſt, tanquam cognitam ſupponere conditionem, aut, ab omnibus lecturis ſperari illa ſi haud queat, leuiter attingere eam, vtut, vulgaria etiam hoc ipſo in medium protuliſſe quaedam, videri nonnullis queamus, qui non niſi noua ſemper, inaudita, ſublimiaque prorſus proferri in ſcriptionibus academicis oportere exiſtimant.

§. IV.

Ducat itaque, dux quaſi femina facta, ordinem vxor, in qua quippe prima *molarum* latent ſtamina, vti hominis ipſius. Atque, ne in atrio, vti iam monui, diu cunctemur *a*), in ipſum potius ingreſſuri gynaeceum, primum in conſpectum prodit primaria totius generationis actus officina, fetusque & molarum domicilium, *Vterus*. Ecce tibi itaque capſulam muſculoſam cauam, veſicam vrinariam inter atque inteſtinum rectum, ſitu fere obliquo, medio collocatam loco, quae, ſi vacua fuerit, ſub pube latet abſcondita, diuerſamque ſiue aetatis, ſiue ſubiecti reſpexeris rationem, multum magnitudine ſua variat, neque vnius eiusdemque in omnibus etiam eſt craſſitiei *b*): in virginibus tamen maxime exigua illa eſt, contracta, den-

ſa, pyri compreſſi figurae ſimilis, atque anguſtiſſima, vt ne fabam quidem capere poſſe videatur. Vides praeterea vaſa vterum obtinere copioſiſſima, e ſpermaticis, hypogaſtricis ac haemorrhoidalibus exeuntia, per ramulos interiectos communicantia, multiplici iuncta anaſtomoſi, ductuque tortuoſo ac ſinuoſo ita mirandum in modum diſpoſita, vt ab indefeſſo quondam naturae ſcrutatore, *Ioanne* SWAMMERDAMIO, verum omni ſuo iure atque merito appellatum fuerit naturae miraculum *c*).

a) Adeat, qui huc ſpectantes partes ſcire auet, *Franc.* PLAZZONIVM *de Partibus generationi inſeruientibus; Lugd. Bat.* 1644. 12m. *Lib. II. p.* 108. ſqq. *Regneri de* GRAAF *Comment. de mulierum organis in Opp. omnibus iunctim editis; Lugd. Bat.* 1677. 8v. *Martini* SCHVRIGII *Muliebria hiſtorico-medica; Dreſd. & Lipſ.* 1729. 4t.

b) Notandum tamen, quod, quae multos pepererunt liberos, multo illis craſſior ſit vterus, quam illarum, quae vel paucos, vel nullos plane ediderunt. Ita ſaltem ſentit *Ludouica* BOVRGEOISIA *Obſervations diverſes ſur l'Accouchement, Part. III. Cap. vlt.*

c) vid. EIVS *Miraculum naturae, ſ. vteri muliebris fabrica; Lugd. Bat.* 1672. 4t. *Ioann.* SALZMANNI *Diſſert. de Naturae miraculo, vtero muliebri; Argent.* 1712.

§. V.

At vero, contemplare eum facta conceptione, ſique plenus fuerit, pluribus eum mutatum deprehendes modis *a*). Capiet enim nunc ſucceſſiue incrementa atque ſupra pubem eminens expanſusque *b*) in conſpectum prodibit tuum, vt fetum ſat ſaepe magnum, immo, vti caſus, qui nos quotidie circumdant, docent,

docent, plures etiam interdum, cum omnibus, quae eos ambiunt, integumentis, quaeque illi adhaerent, partibus, idque, quod in ſummam rapere nos poteſt admirationem, ſine vlla ſubſtantiae ſuae imminutione *c*), continere valeat.

a) vid. *Abrab.* VATERI Diſp. *qua Vterus grauidus phyſiologice & pathologice conſideratur; Viteb.* 1725. *Wilh.* NOORTWYCK *Vteri humani grauidi Anatome atque hiſtoria; Lugd. Bat.* 1743. *8vo.*

b) Fit ſcilicet haec vteri inturgeſcentia atque expanſio, ob vaſorum illius a largiori humorum affluxu factam repletionem, vnde fibrae eius ſenſim diducuntur, vt ouulo creſcenti ſpatium detur ſeſe expandendi.

c) Vrget hoc imprimis argumentum VATERVS, quod vteri ſcilicet ſubſtantia validiſſima muſculoſa, minutiſſimi tenerrimique ouuli preſſioni cedere, & ad tantam vſque dilatationem augeri poſſit, cum tamen a valida potius vteri fibrarum conſtrictione comprimi regulariter deberet fetus.

§. VI.

Quo autem rectius haec pars ſuo fungi queat officio, proſpexit illi prouida atque benigna natura canale quodam oblongo-rotundo, ſubſtantiae membranoſae & muſculoſae, a pudendo ad orificium, quod dicitur, internum, extenſo, eum quidem in finem, vt tributum, quod quolibet menſe ſoluere debent femellae, lunare, lochia ac fetus, excerni per illum, membrum vero virile conuenienter poſſit admitti, quare iuxta omnes ſuas etiam dimenſiones facile huic eſt applicabilis, eamque forſan ipſam ob cauſam, propter figurae ac vſus, quem praeſtat in excipiendo membro, ſimilitudinem, nomen accepit *vaginae a*).

Digitized by Google

a) Rectius tamen forſan *vteri collum* & *vaginam* dixeris *penis.* Interim legi mereтur Viri eleganter docti, *Ioannis Iacobi* HVBERI, *de Vaginae vteri ſtructura rugoſa, Commentatio; Goetting.* 1742. 4t.

§. VII.

In fundo autem ſuo, quod haud minorem requirere puto conſiderationem, inſtructus vterus eſt duobus ſic dictis teſtibus, aut, iuxta recentiores, *ouariis* potius, ad duorum circiter digitorum diſtantiam, iuxta illius poſitis latera, quae veſicularum racematim diſpoſitarum, quas ſua voce dixeris *ouula*, recte ſi cum aliis ſentiam, ſiſtunt congeriem. Haecque tam cum vtero ipſo, per ligamenta teretia imperforata, communicant, huncque in finem duobus etiam canalibus nerueo-tortuoſis, qui *ouiductus*, ſiue *cornua vteri,* aut ab inuentore ſuo *tubae* audiunt *Fallopianae a*), cum fundo illius continuis, ſemini ad ouulum, atque huic ad vterum deportando dicatis, laxe ſunt connexa; quam vicinis etiam partibus, mediante inprimis peritonaeo atque ope ligamentorum alligata, quoad anticam partem lata quodammodo & quaſi depreſſa, in inferiori autem gibboſa, in virginibus & iis, quae in florente adhuc conſtitutae ſunt aetate, mediocria, in prouectioribus & aegrotis autem, aut parua admodum, aut inſignis etiam molis, membranis, fibris, quae quippe miris vaſa perreptant plexibus, nec non numeroſis etiam arteriarum hypogaſtricarum ac ſpermaticarum ornata ſurculis *b*).

a) Tubas has Veteres plane ignorarunt. VESALIO vaſa audiunt deferentia, HIGHMORO ductus ſunt coeci.

b) Vid. *Ierem.* LOSSII Diſput. *de Ouario humano; Vit.* 1674. *Caſp.*

Caſp. BARTHOLINI Thomae fil. *de Ouario mulierum, Diſſ. anat. Amſtelod. 1678.* 8v.

VIII.

Atque in hoc conſentiunt fere omnes, plura, praeter commemorata haec duo ouaria, dari nulla. Quemadmodum autem nihil in omni cognitione humana eſt frequentius, quam inuentis noui aliquid addere; ita idem etiam familiae contigit ouariorum. Ineunte ſcilicet hoc, quod viuimus, ſeculo, *Martinus* NABOTH, Medicus Lipſienſis, nouum in vteri ceruice *a*) detegiſſe ſibi viſus eſt ouarium, iis, quae deſcripta ſunt, vti opinatur, ſimillimum. Commune autem, Vir ille clariſſimus, cum aliis nouarum rerum inuentoribus, expertus etiam eſt fatum, atque a multis, qui in muſtaceo laureolam quaerunt, ſententia illius fuit reiecta *b*). Et quamuis noſtram hanc facere controuerſiam in praeſenti non placet; experientia tamen cum omni ratione ſaepe ſit maior, atque ſemper temerarium, negare, quod ab artis magiſtro aſſeritur; NABOTHVS etiam inſuper firmiſſimis ouarium ſuum corroboret argumentis, idque non in vno forſan, ſed omnibus, quotquot cultro ſubiecit anatomico, cadaueribus muliebribus ſe inueniſſe profiteatur, ſolitariumque illud, vera continens ouula, eſſe oſtendat: nihil eſt, quod nos impediat, aliqua ad minimum ratione in illius tranſire partem.

a) Deſcripſit illud Diſſert. *de Sterilitate mulierum; Lipſ. 1707. §. XI–XV.* Conſentiunt cum NABOTHO, b. *Frider.* HOFFMANNVS noſter *Medic. ration. ſyſtem. Tom. I. p. 2. Cap. XII. §. 14. 15. de la* MOTTE Diſſert. *de la generation, Paris 1718. 12m.* & alii. Conf. *Mich. Ernſt.* ETTMÜLLERI

de Ouario nouo ad *Fred.* RVYSCHIVM *Epiſt. problem. anat.* adiecta RVYSCHII *Aduerſ. anatom. medico-chirurg. Dec. I. Amſtelod.* 1717. 4t.

b) Praeter alia minorum gentium numina, exercuit hoc etiam argumentum *Ioannem Chriſtophorum* LISCHWIZIVM, Lipſienſem primum, dein Kilonienſem Medicum, qui in Diſſert. *de Ortu & propagatione hominum, Lipſ.* 1723. §. 47. multo contra NABOTHVM diſputat conatu, talibus vero argumentis, quae illum non feriunt.

§. IX.

Ipſa vero haec ouaria (§. VII. VIII.), veſiculas continent, quae a figura ſua nomen acceperunt *ovulorum.* Haec vel *ſubuentanea* tantum ſunt, vel *vera*, eaque ipſa vel *matura*, vel *immatura*. Ovula *vera*, eaque *matura*, prima in ſe continent hominis rudimenta, atque nihil, niſi ſemen maſculinum prolificum, ad foecundationem ſuam deſiderant. *Immatura* autem atque *ſubuentanea*, illis gallinarum ouis ſunt ſimillima, quae ſine galli congreſſu ſponte oriuntur, genuina mentiuntur, lymphaque turgeſcunt quidem, ita tamen, vt neque coctione indureſcant, neque fetus prodant rudimenta, immo in ingentem quandoque increſcant molem *a*).

a) Vid. *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec. II. Ann. IX. Obſ.* 136. *Frederic.* RVYSCHII *Aduerſar. anat. Dec. I. p.* 7.

§. X.

Haec ſunt, ſi olim meminiſſe iuuat, quibus propagando generi noſtro ſapientiſſime proſpexit ſummus Creator, mulierum organa interna, ita diſpoſita omnia, vt in ſummam, contemplatione eorum, rapiamur

Digitized by Google

mur admirationem, atque ad immenſam Illius ſapientiam venerandam inuitemur. Ipſa vero abdita atque abſtruſa maxime huius negotii ratio, naturae ab omni aeuo reputatum fuit miraculum, in quo plenarie detegendo ſagaciſſimi praeſtantiſſimique artis deſudarunt magiſtri, omni tamen adhibita induſtria, niſi fruſtra plane ſe laboraſſe, pauca tamen intellexiſſe profeſſi ſunt.

§. XI.

Mirumne igitur habere nos poterit, in delineando hoc opificio, ſi titubare eos videmus atque in tam varias, circa conceptionem, formationem partumque ipſum, abire ſententias? At longum nimis foret omnia veterum illa ingenioſa Philoſophorum ac Medicorum recenſere commenta, quibus, neglecta plane corporis eiusque viſcerum ſtructura, negotium illud explanare ſtuduerunt *a*). Inter ipſos ſane hodienum Phyſicos, multum licet in inueniendis corporis humani factis curioſe ſatis laboratum fuerit, magnus ea de re obſeruatur adhuc diſſenſus, qui exercere ingenia noſtra poteſt.

a) HIPPOCRATES, & qui eum ſequuti ſunt, tam viris, quam feminis, prolificum tribuerunt ſemen, atque inde, ex debita & proportionata vtriusque commixtione, generari conceptum docuerunt. ARISTOTELES *de Generatione animalium, Lib. I. Cap. 20. Lib. II. Cap. 4.* & cum eo AVERRHOES, AVICENNA, aliique, omnem vim prolificam in virili latere ſemine, eiusque concurſu menſtruum excrementum in vtero haerens, atque ſua natura ad producendum fetum ineptum, in lactis mutari coagulum, ſicque feminam impraegnari, exiſtimarunt. Alii ſomniarunt alia.

Digitized by Google

§. XII.

Datur ſcilicet opinioni locus, an in ouario, an in vtero fiat conceptio? Lis ſub iudice eſſe videtur, an ab animalculo ſpermatico quodam, an a ſeminis potius maſculini perficiatur aura? num ab anima, aut a ſtaminum potius in ouulo praeexiſtentium extenſione atque explicatione deriuanda? Et ohe! *quantum* nobis Augiae expurgandum foret ſtabulum, omnes has noſtras ſi facere vellemus controuerſias. Potiora ſaltem ex his eligere & paucis diiudicare, noſtramque addere ſententiam, ſatis erit.

§. XIII.

Viua in ſemine maſculino animalcula, lynceus, qui fertur, rerum quondam naturalium ſcrutator, *Antonius van* LEEVWENHOECK, & qui poſt eum eadem viſus gauiſi ſunt felicitate, HARTSOECKERVS, HOLLMANNVS, numeroſusque aliorum exercitus, detexiſſe vidiſſeque ſibi viſi ſunt; quorum vnum alterumque pararet ſibi, poſt coitum fecundum, in vtero muliebri nidum, creſceret atque fetum conſtitueret humanum. Ergo hoc pacto, ex multis animalculorum myriadibus, cum ſemine vna emiſſorum, vnicum certe aut pauca ſufficerent. At enim vero, aut cum vita animam ſimul ea continent omnia, aut non continent. Si continent, quid ex reliquis, quaeſo! futurum putas? Peribunt certe, niſi lepido forſan ſpectaculo quodlibet illorum peculiare naſcituri in ſe contineat organon, ſicque hoc ventriculum, illud inteſtinum rectum, aliud oeſophagum, aliud, & forſan omnium praeſtantiſſimum, cerebellum conſtituens, loco, quo

primum

Digitized by Google

primum venerit, apponatur. Si non continent, cui illa erunt bono? Nulli certe. Vides igitur, quam ſuaue, aut triſte potius *Leeuwenhoeckianum* de animalculis ſuis ſit ſomnium *a*).

a) Vid. *Steph. Franc.* GEOFREY Diſſert. *an hominis primordia vermis? Pariſ.* 1714. & *Io. Philip. Laur.* WITHOF *ad Syſtema Leeuwenhoeckianum Comment. II. Lugd. Bat.* 1746. 8.

§. XIV.

Quemadmodum itaque LEEVWENHOECKII, quique illi aſſentiuntur, ſententia ita eſt comparata, vt multas adhuc inextricabiles in mente noſtra relinquat difficultates, hincque nos ſemper impediat, quo minus ſubſcribere illi poſſimus; ita eiusdem etiam farinae illa nobis eſſe videtur hypotheſis, quam recentiori potiſſimum, atque hoc ipſo, quo viuimus, ſeculo, excogitarunt MAVPERTVISIVS, BVFFONIVS, NEEDHAMIVS, quique praeiudicio tantorum Virorum auctoritatis ſeducti, veſtigia illorum premunt. Certe, armato mentis oculo eam ſi conſideres, parum abeſt, quin videare, a lepido illo antiquiſſimorum artis magiſtrorum ſomnio, de maſculini ſeminis atque feminini commixtione, eam ne vnguem recedere, atque verum eſſe Gallicismum. Quid ergo? operaene erit pretium, tam clara, qua radiat corporis humani ſtructura, luce, argumenta illi oponere?

§. XV.

Ex ouo, vt noſtram addamus, aut in ouo potius, ſi mauis, fieri generationem, atque a patre vitam & animam, a matre vero proficiſci, in naſcituro, corpus, ſuumque in hac ipſa accipere nutrimentum, ego, ſi

quid valeo, arbitror. Latitans in ouario ouulum maturum verum (§. IX.), prima in ſe totius corporis ſtamina continet atque rudimenta, eorumque, a fecunda maris cum femina coniunctione, vitam expectat atque euolutionem *a*).

a) Hanc primus omnium multis experimentis demonſtravit veritatem immortalis famae *Guilielmus* HARVAEVS, eumque complures ſequuti ſunt Medici. Conf. Excell. EBERHARDI *Conſpect. Medic. theoret. Part. I. p. 226.* Pluribus autem hoc de argumento, & quidem inſtar omnium, legi meretur, Medicus, dum viuebat, doctiſſimus, *Adamus* BRENDEL, Diſſert. *de Embryone ante conceptionem in ouulo praeexiſtente; Viteb. 1702.* adde *Chriſt. Frid.* GARMANNVM Diſſ. *de homine ex ouo, Chemn. 1672.*

§. XVI.

Quo enim, thorum ſi aſcendimus, recte aliquando mariti, in procreanda ſobole, ſatisfacere valeamus officio, liquor nobis quidam genitalis, communi voce dictus ſemen maſculinum, datus a benigniſſimo ſapientiſſimoque fuit Creatore, albicans, tenuis admodum, ſubſpiſſus, limpidus, ſeroſis atque oleoſis defecatiſſimis intime reſolutis conſtans particulis, odorem ſpargens peculiarem, qui, ratione prorſus mechanica *a*), a ſanguine, ope arteriarum, quas ſpermaticas dicimus, lentiſſime affluente, in proprio organo, teſticulis ſcilicet, mediantibus tenuiſſimis vaſis lymphaticis *b*), ſecernitur, indeque dein per vas deferens trans epididymidem, ad veſiculas ſeminales deductus, in iis aſſeruatur, cumque liquido neruco magis adhuc commiſcetur, & dein, ſub coitu fecundo, quando inde ad caput deuenit gallinaceum, proſtatarum liquore affluen-

fluente dilutus, mediante vrethra, cum vi quadam, quantitate ſufficiente decenteque loco, tempore atque mentulae rigiditate, in ſinum muliebrem effunditur.

a) De ſemine maſculino veteres ſi conſulamus artis profeſſores, mirum ratione originis ſuae deprehendes inter eos diſſenſum. Cerebri eſſe partem ALCMAEON; a medulla ſpinali proficiſci PLATO; ſpumam e totius ſanguinis promanantem maſſa PYTHAGORAS atque ARISTOTELES; ex vniuerſo, quod in corpore humano continetur, humido oriri HIPPOCRATES; aliud ſomniarunt alii.

b) Conſulendus imprimis eſt HALLERVS, Progr. *de vaſis ſeminalibus, Goett. 1745.* & in *Praelect. Boerhaauianis, Tom. V. P. 1.*

§. XVII.

Quod, quo appareat clarius, celebrata venere fecunda, ſemen maſculinum, debito in vterum, ipſius veneris ſtimulo irrigatum atque feruescentem, impetu proiectum (§. XV.) auide ab eo deglutiri puto atque ſeruari, quo facto ille, ipſa hac ſuauiſſima ſeminis, cuius ſubtiliſſima principia tentigine atque feruore venereo magis adhuc actuoſa redduntur, iniectione, blandiſſimoque illius alliſu, titillatis nerueis, quibus praeditus eſt, papillis, maiori liquidi neruei affluxu turgeſcentibus, conuellitur & conuulſiue quaſi conſtringitur. Semen vero actuoſitate ſua exaltatum, in canales illos abit conicos, ad vterum ſtrictiſſimos, tubas ſcilicet Fallopianas, ouariis proxime accumbentes, easque a coitu ſtatim rigentes ita dein expandit, vt ouarium contingant idque amplectantur. Nulla ergo datur conceptio, niſi ouulum a ſemine ſic mutetur, vt embryonis euolui poſſint ſtamina. Ergo ſeminis

minis maſculini fecundi cum ouo vero maturo adunatio, omnem hominis conceptus abſoluit ideam.

§. XVIII.

Fecundatum itaque hac ratione in ouario a ſeminis maſculini contagio ouulum maturum (§.XVII.) tribus vel quatuor abhinc diebus, per modum veluti inflammationis, intumeſcit, rubet, augmentum capit *a*), & oborta intrinſecus turgeſcentia, motuque expanſiuo in ſtaminibus facto, nec non concitato propterea largiori etiam ſuccorum effluxu, e clauſtris, quibus firmiter antea cohaerebat, ſucceſſiue prorumpit, ruptaque exteriori, qua tegitur, ouarii membrana, vel dilatatis potius illius oſculis *b*), de cortice luteo ſolutum ad extra tendit, & ab ampliore tubae parte exceptum *c*), inde motu periſtaltico per hunc canalem verſus vterum deſcendit ibidemque ſenſim agit radices.

a) Vide *Theophili* BONETI *Sepulchret.* ſeu *Anat. practicam p. 1364.* qui variis hoc obſeruationibus comprobare annititur.

b) vid. VERHEYEN *Anat. Tr. 2. c. 24.* qui poſt fecundationem in brutis oſcula haec in membrana reperit.

c) Hunc enim in finem ouariorum ouique ductuum cum vtero adeſt communicatio; vti ad fecundandum ouum, ſupra easdem tubas, ſemini patebat acceſſus. Comprobant hoc non ſolum fetus in tuba reperti, de quibus dein pluribus exponemus, quibus adde RVYSCHII *Obſ. de ouo fecundato in muliere grauida reperto, Theſ. anat. V.* & aliam *de veſtigio in ouario, poſt impraegnationem, ab ouo inde excuſſo, relicto, Adu. anat. Dec. III. p. 15.* verum etiam corpus, poſt conceptionem, in ouario, ouulique facta ſeparatione, repertum luteum. In hoc enim ipſo vera ouula ſunt mi-

nutis-

nutiſſima, quae in intemeratis virginibus, nullo pertuſo oſculo, alba membrana circumſepta reperiuntur.

§. XIX.

Minime quidem ignoro, fuiſſe qui in ouario fieri conceptionem, ouulique, per anguſtum tubae canalem, deſcenſum difficilem iudicantes, ouula ante conceptionem deſcendere ad vterum, ibique a ſemine virili fecundari, aut in ipſo vtero collocata ouaria eſſe *a*), putarunt: idque eo audacius, propterea quod fluctuent libere in cauitate peluis, cum alterna ſua extremitate, tubae Fallopianae *b*): ſed corroborant ſententiam noſtram, fetuum non ſolum in tubis his repertorum exempla *c*), vti commemoratione digniſſima etiam RVYSCHII obſeruatio, qua ſemen, paucis diebus poſt conceptionem in tubis *d*), turgidaque in ouariis ouula reperit atque fecundata, ſtabilire eandem valet.

a) Haec ipſa etiam NABOTHII ſupra laudati eſt hypotheſis.

b) Hoc quoque eſt, quod *Güntherum Chriſtophorum* SCHELHAMMERVM, virum alias acutiſſimum, commouit, pronunciare, ope circulationis ſanguinis vniuerſalis ipſam peragi conceptionem, qua ſcilicet mediante purior ſeminis virilis portio, ſanguini in vtero communicata, ad ouarium duceretur.

c) Vid. *Abrah.* CYPRIANI Diſſert. epiſtolar. *de fetu ex tuba vteri exciſo*; *Lugd. Bat.* 1700. *8v.* *Matth.* TILLINGII *de Tuba vteri, deque fetu in Gallia nuper extra cauitatem vteri in tuba concepto, Exercitat. anat. Rintel.* 1670. *12m.* LITTRIVS *in Memoires de l'Academ. Royale des Sciences,* 1702. *Edit. Amſtel. p.* 329. *de* HALLER *ad* BOERHAAVII *Inſtitut. Tom. V. P. II. p.* 118. & 438. SANTORINI *Obſeru. anat. C. XI. p.* 233. adde *Theoph.* BONETVM *in Sepulchreto ſ. Anat. pract. Tom. II. Lib. 3. Sect. 37. Obſ. 4.* vbi de via ouuli ad tu-

Google

bam prolixe expoſuit. In non grauidis, ex ouario in tubas nullum quidem apparet foramen; in recens autem grauidis apertum inuenit RVYSCHIVS, quod piſum maius admittebat, immo vidit locum, quo ouulum olim ſederat.

d) Vid. *Freder.* RVYSCHII *Theſaur. anat. VI. T. 4.* EIVSDEM *Aduerſ. anatom. Dec. I. T. 1. 2.* vbi ETTMÜLLERO ſimul ad Epiſt. *de Ouario nouo* reſpondit. *Guilielmus* quidem HARVAEVS, *de Generat. animal. quibus accedunt quaedam de partu, de Membranis ac humoribus vteri, &c. Lond. 1657. 4t. Exercit. LXV.* vbi de ceruice vteri verba facit, alibique paſſim, per longam edoctum ſe eſſe ſcribit experientiam, poſt coitum, ſeminis virilis ne minimum quidem in vtero exiſtere veſtigium, immo nec concipi poſſe, quomodo aditus ſemini ad matricem per orificium pateat illius adeo conſtrictum viſcidaque occluſum materia, vt ne vllum quidem flatum admittat. Conferatur etiam *Petri* GERIKE Diſſertat. *de viis geniturae ad ouarium & conceptione, Helmſt. 1746. Eiusdemque de Generatione hominis Libellus, ibid. 1745. 8v.*

§. XX.

Ad vterum igitur poſtquam acceſſit, quo ad debitam prouehatur magnitudinem, ſucco nunc eget nutritio, quamquam de modo, iuxta quem ipſum capiat ſuum nutrimentum, docti inter ſe non conueniant homines, atque aliis per ſolum funiculum vmbilicalem, aliis per os, aliis vtroque fieri modo ſimul viſum ſit. Neque noſtrum etiam eſt omnia, quibus quisque roborare ſuam ſententiam atque tueri annititur, repetere argumenta.

§. XXI.

Nobis ſane, quando hoc negotium perpendimus, ſecundina, aut ab ea pendens vmbilicalis funiculus

lus *a*), vnica via, per quam capiat fetus nutrimentum, non videtur, ſed potius dubitare non obſtat, quin ad tria capita ſumma omne, quicquid naſcituro homini illo tempore accidere ſolet, redire credamus. Aut enim nutritur ſucco proprio; aut quae vteri parietibus affixa eſt humoresque a matre nutritios ſorbet, placenta, mediante praecipue, quae inter res ſecundo partu edendas minima, dignitate aut officio ſuo autem facile eſt princeps, chorda vmbilicali; aut vltimis etiam temporibus per os.

a) Hanc ex recentioribus Medicis fouet recenterque tuitus eſt ſententiam *Georg. Auguſt.* LANGGVTH, in Diſſert. *de Nutritione fetus in vtero per ſolum vmbilicum, Wittemb.* 1750.

§. XXII.

Ambiunt ſcilicet in ouulo ſuo embryonem duae membranae *a*), *interior*, quam *amnion* dicunt, tenuiſſima & tranſparens, fetum & ſuccum huic deſtinatum nutritium continens; & *exterior*, *chorion* appellata, denſior quodammodo & craſſior, ex duplici lamella, interiori tenui & neruoſa, exterioriqu villoſa, conſtans, quae fibras ſuas ſenſim explicat, ex quarum & copioſiſſimorum ſanguiferorum vaſorum ramificationibus, duplicem hanc inter chorii lamellam varie inter ſe complicatis & implicatis, corpus illud generatur craſſum & ſolidum, quod, a figura, *placenta* audit, primis menſibus, ob vaſculorum tenuitatem, valde obſcurum, fetu autem grandiore facto, & circa medium geſtationis tempus, ob largiorem nutrimenti affluxum, magis conſpicuum. His accedit tertia, a figura, quam in brutis habet, dicta *farciminalis* ſiue *allantoidea*,

toidea, ſupra quam variae omni tempore excitatae fuerunt controuerſiae. FABRICIVS ab *Aquapendente*, BIDLOO, aliique ſuperioris ſeculi doctores, mediam illam pertenuem, quae chorio atque amnio humano interiacet, tunicam pro ea acceperunt. Diſputat quoque de illa iam GALENVS *de vſu part. corp. hum. cum Comment. C. Hoffm. Lib. XV. Cap. I.*

a) De origine harum membranarum artis magiſtri inter ſe non conueniunt. Vid. interim *Wilh. Huld.* WALDSCHMID Diſp. *de Allantoide, Kilon. 1729.* & *Lud.* NEVFVILLE Diſp. *de Allantoide, Lugd. Bat. 1730.*

§. XXIII.

Sed ad ipſum nunc triplicem ſuppeditatum a nobis nutritionis modum explicandum vlterius progrediamur. Oritur ſcilicet ſub conceptionis actu motus in ſtaminibus inteſtinus vitalis (§. XX.), hoc ipſo ouulum agitatur, ex ouario prorumpit, atque per tubam ad vterum tranſit (§. XXI.), ad quod perficiendum negotium aliquot ſaltem dierum ſpatium requiri, ipſa ſuadet ratio.

§. XXIV.

Fluctuat itaque nunc, dum ſtatura minor eſt, ſuoque liquori amnii innatat, & piſciculi more hinc illinc liberrime vertitur embryo; at vero, quoniam viuit (§. XX.), ſine nutrimento autem creſcere plane nequit (§. XXII.), aliunde quidem hoc tempore non, quam ex proprio ſuo humore amnii, nutritio haec deriuari poteſt.

§. XXV.

§. XXV.

Atque hic duplex datur potiſſimum via, per quam ad embryonem ſuccus ille peruenire poteſt. *Ioannes Godofredus* BERGERVS, Medicus huius ſeculi, ſi quisquam alius, elegantiſſimus, per ipſum os fieri nutritionem primis hisce menſibus, contendit *a*), ea potiſſimum propter, quia corporis noſtri partes omnes non ſucceſſiue generarentur formarenturque, ſed vel ante impraegnationem, vel in ipſo conceptionis momento, vna & ſemel in ſtaminibus exiſterent, accedenteque nutritione explicarentur. Conſentit illius in eadem Academia, quam ornauit, Collega, & Anatomicus huius aeui celeberrimus, *Abrahamus* VATERVS, qui hoc addit, quod praeter os, nulla capiendi detur via *b*). At, quanti etiam vtriusque in rem literariam atque medicam faciam merita, non tamen poſſum hac in re ab illorum ſtare partibus. Ex mea enim, ſi quid valeat, opinione, idem etiam fieri poſſe per tunicam tranſudantem, non eſt, quod negemus, nec non, quod alluens embryonem amnii liquor, molli aliquo contactu eum non ſolum foueat eique adblandiatur, atque a quouis rudi impetu reddat ſecurum; ſed inſimul vim ipſam etiam vitae, quae, vti ex celeri illorum diſcimus incremento, naſcituris ſuperior eſt, adminiculante calore conſeruet. Atque hinc *Gregorii* NYMANNI, ſupra commemoratorum Medicorum olim Anteceſſoris, explodenda haud eſt ſententia, dum propriis ſuis ſumtibus, nullo matri nexu addictum, viuere poſſe fetum affirmare anniſus eſt *c*). Quae quidem vita ab amnii liquore, vti affirmauimus, quod dependeat, liquoris huius natura, copia, atque

 ſimili-

ſimilitudo, quae illi cum eo intercedit, quem in minutiſſimorum etiam fetuum abortiuorum reperimus ventriculo, abunde teſtari poteſt *d*).

a) Vid. *Eius Phyſiolog. med.* ſeu *Comment. de Natura humana*, *p.* 476.

b) Diſp. *de Mola praegnante.*

c) Vid. *Eius* Diſp. *de Vita fetus in vtero, Lugd. Bat.* 1644. 12*m.*

d) Nutritionis hac, quam dicimus, ratione factum negotium, optime elucet ex *Guil.* HARVAEI inſtitutis experimentis. Hic ſcilicet ceruas ac damas omni ſecans ſolertia, menſe, a coitu, praeterlapſo integro, prima demum fetus rudimenta inuenit albicantia, filamenta ſcilicet, quae ſimul iuncta, ſacculum mentiebantur ſubtilem. Hunc, temporis ſucceſſu, ad magnitudinem aliquam excretum, limpidum & cryſtallinum in cauitate ſua continere vidit liquorem. In hoc, ſequentibus diebus, punctum quoddam deprehendit ſaliens, ex quo vaſorum vmbilicalium minutiſſima initia originem ducebant, per quae, in dies magis magisque increſcentia, multis ſuis ramificationibus, per lympham iſtam hinc inde diſperſis, embryoni nutrimentum adduci ſuſtinuit.

§. XXVI.

Quo autem nunc creſcat magis, opus eſt illius ad fundum vteri deſcenſu, vbi, explicatis breui poſt magis in exteriori chorii facie radicibus fibroſis elongatis atque expanſis, iisque intra ſubſtantiam vteri inſinuatis, cum hoc tandem cohaeret, in nouum fetui communicatum nutrimentum.

§. XXVII.

Vterus ſcilicet, poſt coitum fecundum, ob largiorem humorum effluxum, mole iuſto maior ac ſub-

ſtantia

ſtantia ſua craſſior (§. VIII.), nec non, quoad internam faciem, primis ſtatim a conceptione menſibus apparet villoſus. Cum vero exterior ouuli ſuperficies a chorii fibris elongatis explicatisque (§. XXVII.) pariter reddatur villoſa fibroſaque *a*), vi illius ſtructurae inſinuare ſeſe in cryptas vteri patentes, atque cum eo connecti ouulum, hincque eodem plane modo, ac radices plantarum in terra reſoluta ac fiſtuloſa hinc inde ſerpunt & ſuccum alibilem hauriunt, ex vtero haurire nutrimentum, placentaeque generandae *b*) ſimul fieri fundamentum, & ratio ſuadet, & experientia *c*).

a) Memini, in Muſeo olim *Abrab.* VATERI anatomico, quod adhuc hodie apud viduam illius aſſeruatur, me vidiſſe, nucis auellanae magnitudine ouulum humanum, in cuius cauitate muſcam referens fetus a funiculo vmbilicali pendebat. Huius externa facies ex parte apparebat fibroſa. Conf. VATERI *Muſeum anatom. proprium, Helmſt.* 1750. *pag.* 82.

b) Placentam eiusmodi cum ouulo ſimilis faciei exhibet RVYSCHIVS. Ipſius placentae hiſtoriam vero egregie pertexuit *Matth.* TILLINGIVS, *de Placenta vteri disquiſitione anatom. nouis in medicina hypotheſibus illuſtrata; Rintel.* 1672. 12*m*.

c) Teſtantur hoc embryones per abortum expulſi. Conf. *Abrab.* VATERI Diſp. *de Mola p.* 14. RVYSCHII *Theſ. anat. VI. T.* 1. 2. HEISTERI *Compend. anatom. C.* 66.

§. XXVIII.

Radicatum igitur hoc pacto ouulum in vtero, fibroſarum radicum ope (§. XXVII.), quarum pariter, ac totius oui expanſio, a ſuccorum ipſius fetus circulari pendet motu, haurit nunc ex ſanguine materno nutrimentum, cuius virtute vlterius capit augmentum.

Atque

Atque hanc nutrimenti materni communicationem non tamen per oſcula fieri ſcimus placentae, cum orificiis vltimarum arteriolarum vterinarum commiſſa, vti alias quidem in corpore noſtro ſecretiones peragi conſtat, quo tubuli ſecretorii cum extremis arteriolarum coniunguntur, aut potius ex iis productis generantur. In vtero grauido nullae tales extremitates apparent, ſed alia eligenda eſt via *a*).

a) Vid. *Ioann.* SWAMMERDAMI *Miraculum naturae*, ſeu *Vteri mulicbris fabrica, Lugd. Bat. 1672. 4t. Guilielm.* NOORTWYCK *Uteri humani grauidi anatome & hiſtoria, Lugd. Bat. 1743. 8v. Abrah.* VATERI Diſp. *de Vtero humano grauido, phyſiologice & pathologice conſiderato.*

§. XXIX.

Videtur tamen fieri id funiculo inprimis intercedente vmbilicali, cuius quippe ope cum ſecundina ſua conſpicitur cohaerens. Eſt enim funiculus hic vmbilicalis, cuius virtute, vitae vterinae continuandae perficiendaeque gratia, aliquis fetui datur, aliquis vtero ab eo redditur ſanguis, vaſorum, fetum inter matremque communicantium, faſciculus *a*), ita quidem diſpoſitus, vt non, quemadmodum in brutis animantibus *b*), cotyledonibus ea propius alliget, ſed in funem potius eductus volubilem embryonis ſtaturam valde ſuperet, plerumque tamen tres vlnae tertias longitudine ſua haud excedat *c*). Cuius quidem ipſius in hoc organo menſurae ea eſt commoditas, vt incrementum hominis eiusque in vtero ſanitas ſtare ſine ea non poſſit, vti pluribus hoc demonſtrat, Vir & poſt mortem adhuc clariſſimus, *Ioannes Erneſtus* HEBENSTREITIVS *d*).

Digitized by Google

a) Vtrum animalculi ſpermatici cauda vmbilicalis fuerit chorda, veluti iſta quaeſtio, inter alias, ab illuſtri HALLERO diluitur, *Praelect. Boerhaau. T. V. P. II. p. 242.* an ſtamini potius humano ingenita res? iam diſputare nolo. Ceſſantibus tamen ipſis animalculorum illorum ſomniis, corruit etiam cauda.

b) Longe aliter in homine, quam in brutis animantibus, comparatum illum eſſe, docet *Nicolaus* HOBOKENIVS, *in Secundinae vitulinae Anatome, Vltrai. 1672. 8v.*

c) Menſuram illius haud omnibus eſſe eandem, ſed longitudine ſua variare conſtat. Conf. inprimis *Franciſci* MAVRICEAV *Obſeruations ſur la Groſſeſſe & l'accouchement des femmes, à Paris 1728. Obſ. 401.*

d) Diſp. *de Pathologia funiculi vmbilicalis, Lipſ. 1747. pag. 6.* conf. *Fr.* RVYSCH. *Aduerſ. anat. Dec. II. p. 29.*

§. XXX.

Fuit tamen ille omni tempore, chorio tunc nondum carneſcenti, irradicatus, & niſi vteri parietibus ſtatim adhaeſit ouulum, certe a muco, qui cauum vteri ſemper irrorat, pabulum pro fetu accipere poteſt. Quam primum autem vteri parieti adfixum eſſe coepit ouulum, ex vtroque, & arteriarum, & venarum fonte, ſanguis verſus omnem internam vteri ſuperficiem inclinat, nec in illa tantum, qua placenta affigitur, area, conſenſus eſt, ſed toti veluti fornici intime adnaſcitur chorion. Ita ex huius membranae radiculis, in parietem vteri demerſis, vaſa ſanguifera vteri reſpondent canalibus *a*). Vnicum modo hic ſemper mirari ſubit, cum, in animato corpore quouis, vaſorum in contentos liquores actio ab eorum conſtantia dependeat, robore aequali, & immoto cum partibus, per quas deferuntur, nexu; qua ratione,

 vtrius-

Digitized by Google

vtriusque ſanguinis per funem vmbilicalem progreſſus, cum flaccida organi huius eiusque in ſerpentinos tractus compoſitione, ſtare poſſit?

a) Qua intra ſubſtantiae vterinae ſinus ſanguis colligi, nouis dotibus augeri, inque contiguae placentae choriique, eam ſuccingentibus, oſcula propelli poſſit, rationem excuſſam dedit NOORTWYCKIVS, *loc. cit. p. 10.*

§. XXXI.

Quicunque autem ille cum vtero placentae ſit nexus, quem in vaſorum conſiſtere arguunt continuitate *a*); quicunque etiam ille, quem ex contiguo vteri pariete placenta accipit, fuerit ſanguis, ſincerusne, an lactis aliqua ſpecie mixtus *b*), vena certe vmbilicalis nutrientes fetum humores ſuſcipit perque annulum, qui lineae albae medius intereſt, verſus ſiniſtrum hepatis ſinum propagat, quo illi inquilino embryonum ſanguini miſceantur, veluti omnibus, qui ſummis tantum artem noſtram deguſtarunt labris, res eſt notiſſima *c*).

a) Vid. COWPER *Anatomy of humaine Bodies Explication*, Tab. 84. F. F. F. Lond. 1697. Legi poſſunt hanc in rem inſtituta experimenta, vtut fruſtra eadem tentauerit Clariſſ. *Alexand.* MONRO, *Medical Eſſays and Obſervations reviſed and publiſhed by a Society in Edinbourgh*, 1736. *Tom. II. p.* 139.

b) Vid. *Regneri de* GRAAF *de Mulierum organis, in Opp. omn. Lugd. Bat.* 1677. *p.* 387.

c) Vid. Illuſtr. *Chriſtoph. Iac.* TREW Differt. epiſtol. *de differentiis quibusdam hominem natum & naſcendum intercedentibus*, *Norib.* 1737. 4t. *p.* 62. vbi contra *Ioann.* MERY ſententiam, quam in *Nouveau ſyſteme du ſang par le Trou*

ouale

ouale dans le fetus humain, à Paris, 1700. propoſuit, erudite diſputat.

§. XXXII.

At vero, licet de hac etiam via conſtet, vtriusque tamen cordis ventriculi in vnam aortam fetus quum ſemper conſpiret actio, vti quidem cor, cera repletum, hanc rem curioſis demonſtrat, opinioni locus eſt, an ſolus matris ſanguis venam iſtam impleat, annon arterioſi illius ſanguinis, quem cor fetus paulo ante expulerat, particula ad corpus eius reuertatur, ſitque adeo inter fetum & placentam perpetuus humorum circuitus *a*).

a) Vid. quae hanc in rem eleganter diſſerit HEBENSTREITIVS, l. c. §. 4.

§. XXXIII.

Ac non incongruum eſt rationi, aliquam ſanguinis arterioſi partem per venam ad fetum reuerti debere. Hae ſunt arteriae iſtae, quae flexuoſo ſuo totius funiculi vmbilicalis longitudinem emetiuntur progreſſu, mutuis vtraque anaſtomoſibus, qua ramos, coniunguntur, venamque ſociam amice amplectuntur, ſuoque pulſu ignauum vas venae vmbilicalis coërcent & in aliquam chorii partem transfundunt.

§. XXXIV.

Vltimis denique temporibus, quoniam inprimis etiam canalis alimentorum maius nunc, quam antea, incrementum obtinuit augmentumque; nec non, quod in minutis etiam embryonibus, quam primum externae quodammodo partes diſtingui poſſunt, hiare oſculum patulumque eſſe obſeruatur, atque cauitas in-

Digitized by Google

teſtinalis, quae primo ſtatim tempore adeſt, aperta ſeruanda & ſucci alicuius affluxu amplianda; & denique ipſum etiam meconium in inteſtinis adeſt, credere nos iubent haec omnia, niſu & reniſu abdominis viſcerum, lenique vteri compreſſione, amnii liquorem in os leuiter patulum adigi, ſicque per illud hoc tempore fetum nutriri *a*).

a) Non noua lis eſt, quam, de fetu per os nutrito, inter artis magiſtros deprehendimus. Inter Democriteos & Ariſtotelicos olim iam illa fuit excuſſa. Illi ſcilicet affirmarunt, hi negarunt. Atque Ariſtotelem quidem, qui per vmbilicum aſſerit pabulum accipere fetum, defendit *Fortunatus* LICETVS, *de Animae humanae ortu, Geneu. 1602. Lib. 3. Cap. 2.* Ore tamen fetum adultum, abſens etiam licet ſit reſpiratio, capere liquorem amnii poſſe, teſtatur obſeruatio *Laur.* HEISTERI, de ſucco amnii in fetu vaccino inuento conglaciato, *Compend. anatom. p. 172.* Quicquid etiam contra eum regerit MONRO, *Medical. Eſſays Tom. II. l. c.*

§. XXXV.

Atque haec olim meminiſſe iuuet. Mittimus nunc, quae ad reliquum naſcituri in vtero ſtatum, a primo eius ortu ad ſui vsque perfectionem, ſpectant *a*), nec iuuabit, quomodo de menſe in menſem augeatur, creſcat, ſeque explicet, atque perfectus denique, opportuno partus tempore, non tam ob ſpatii anguſtiam, aut nutrimenti defectum, ſed fortiorem potius propriorum ſuccorum turgeſcentiam, exitum ſibi paret, anxie inquirere. Aliud nunc ad ſeſe nos inuitat argumentum, cuius haec inprimis gratia praemittere placuit.

a) Conf.

Digitized by Google

a) Conf. *Theod.* KERCKRINGIVS, qui formationem fetus per ſingulos menſes dedit in *Oſteogenia foetuum*, adiuncta eius *Spicilegio anatomico, Amſtel.* 1670.

§. XXXVI.

Veram ſcilicet grauiditatem a ſpuria & apparente diſtinguere, difficillimum ſemper habitum fuit opus, quam ob rem, de pathognomonicis etiam, hoc eſt, de certis, indubitatis ac infallibilibus ſignis, quibus diſcerni haec ab illa poſſit ac debeat, cogitare Medici fuerunt coacti. At vero, nec haec ſufficientia ſemper adeſſe, credere nos iubent caſus ſingulares ac rariores, vbi feminae, praecipuis licet grauiditatis ſignis apparentibus, nullum tamen ediderunt partum, ſed vitiorum potius in corpore latentium fuerunt indices *a*).

a) Sic hydrops aſcites atque tympanitis ſaepe grauiditatis mouerunt ſuſpicionem; vid. *Ephemerid. Nat. Cur. Dec. II. Ann. VIII. Obſeru.* 165. Sic eandem mentitae ſunt, caro ſpongioſa ac putrida in vtero vlceroſo contenta; vid. *Guil. Fabricii* HILDANI *Obſeruat. chirurg. ſelect. Cent. VI. Obſ.* 55. maſſa pultiformis, vid. *Ioann.* ARCVLANI *Commentar. in Libr. IX.* ALMANSORIS, *Cap. de Mola;* calculus, vid. MORBII *Fundament. Phyſiol. Cap.* 20. abſceſſus, tumores ichoroſi, & alia, vid. *Theoph.* BONETI *Sepulchr. Lib. III. Sect.* 37. Admodum memorabilem vero caſum tradit *Abrah.* VATER, Diſp. *de Grauiditate apparente, ex tumore ouarii dextri enormi orta, per tres annos cum dimidio durante, tandemque in aſcitem terminata;* Wittemb. 1722.

§. XXXVII.

Maxime tamen omnium ſpectare huc videntur *Molae*; quae, quoniam in ipſo etiam vtero haerent, eodem modo, ac fetus, creſcunt, vterumque, cum quo

Digitized by Google

cohaerent & ex quo nutrimentum capiunt, aequaliter afficiunt, omnia vtplurimum verae grauiditatis, primis praecipue menſibus, praebent ſigna. Quarum ſi inquirimus rationes, ingenioſe quidem ſatis, a variis praeſtantiſſimis etiam artis magiſtris, excogitata inuenio multa, pauca tamen vera. Atque hoc potiſſimum me mouit, veram illarum generationem inquirere ſtudioſius.

§. XXXVIII.

Non autem eſt, quod in enarrandis, enucleandisque quas veteres de molis fouerunt, anxie deſudemus hypotheſibus *a*). Deducunt enim illas nunc a praua conceptione, nunc a ſiderum influxu, nunc a ſemine animalium improuide hauſto, nunc a maſculino ſemine in vtero corrupto, nunc ab vtriusque ſeminis diuerſa temperie, nunc a ſanguine menſtruo in vtero retento atque corrupto *b*), vnde germanicum etiam nomen *Mondkaelber* ortum eſſe SENNERTVS autumat, nunc ab alia deriuandas illas eſſe cauſa arbitrantur, nunc denique animantia viua eſſe atque monſtroſa, ex imaginatione orta, aut illicito formata in corpore congreſſu. Haec omnia enim & huius farinae alia, fabulas eſſe aniles, dudum iam fuit comprobatum *c*).

a) GALENVS vocat molam *κυημα αμορφον και σαρκοειδες*, *Lib. de vſu partium corp. hum. XIV. Cap.* 7. aliter PLVTARCHVS, AETIVS, AEGINETA, aliter alii vocarunt.

b) Ita putat ipſe artis parens HIPPOCRATES, *de morbis mulier. Lib. I. 97.*

c) Ex auctoribus claſſicis, qui de molis commentati ſunt, nomi-

nominandum laudandumque inuenio neminem praeter *Ioann. Bapt. de* LAMZWERDE *Hiſtor. natural. molarum vteri, Lugd. Bat. 1686. 8v.* quamquam pro ſeculi genio adhuc de iis diſputat. Ex Diſputationibus autem academicis, quarum complures ſcribenti ad manus ſunt, commendandae veniunt *Herm. Paul.* IVCHII, *de Molarum generatione & cura, Erford. 1732.* atque *Gerb. Rutger* HANKOPFF, *de Mola, Goetting. 1746.* reliquarum autem complures anilibus fabellis ſunt plenae.

§. XXXIX.

Recentiorum ſcilicet, quas de originibus ac generatione molarum habent, ſententiae ſatis iam exercere noſtra poſſunt ingenia. Communi enim quaſi ſuffragio inter omnes hactenus fuit receptum, illas ex relicta in vtero, illique cohaerente particula placentae, ortum trahere, quando ſcilicet, embryone in vtero vel extincto, vel praematuro partu & per abortum expulſo, ad tempus in vtero illa retineretur & cum vaſis vterinis adhuc coniuncta, nutrimentum caperet denſamque ac duram nanciſceretur conſiſtentiam, quae diutius ibidem ſubſiſtens veram mentiretur grauiditatem, & creſcens in dies in tantam molem, vnde nomen etiam accepiſſe videtur, feminis adeo moleſtam, augeretur *a*).

a) Ita ſentiunt *Alexander* BENEDICTVS *de morbor. curationibus, Lib. 25. Cap. 29. Miſcell. Nat. Curioſ. Dec. I. Ann. I. Obſ. 36.* RVYSCHIVS, VATERVS, & alii. Integrum molarum Catalogum exhibent *Miſcellanea Nat. Cur. Decur. I. Ann. I. Obſ. 1.*

§. XL.

At enim vero, cum a feminis non partum ſolum

Digitized by Google

lum aut abortum iam expertis, ſed antequam etiam pepererunt, molae eiusmodi ſaepe ſoleant excludi, iniuria ſane foret, accuſare eas, quod ante matrimonium contractum partum aut abortum paſſae fuerint; quare haec quidem cauſa molarum eſſe nequit.

§. XLI.

Arbitrantur quidem ſententiae huius patroni, optime huic dubio mederi poſſe, ſi cum RVYSCHIO concreta iſta ex vtero excluſa diſtinguamus, ſiquidem non omnia vteri concreta molarum nomine veniunt, nec etiam ſarcomatibus, excreſcentiisque carnoſis hoc nomen competit; hinc diſcernamus in molas ex placenta vterina integra fetus immaturi in matre extincti, quas ille veras appellat, atque per abortum expulſi, genitas *a*). Sed ſemper tamen idem remanebit dubium.

a) Vid. *Abrah.* VATERI Diſput. citata, *de Grauiditate apparente &c. p.* 29.

§. XLII.

Acu igitur alii rem tetigiſſe putant, ſi non quidem a placenta, ſed a cruoris potius nimii maſſa, aut congrumati ſanguinis, in vtero indurati, molas deducerent. Sed neque haec arridet origo. Licet enim ſanguis, in cauum vteri effuſus, compreſſione & conquaſſatione, in fibroſam, carnoſam & polypoſam ſubſtantiam in feminis interdum concreſcat, dum nempe ſeroſa portio diffluit, aut cum reliqua magis fluida parte illius abit, fibroſum vero cum mucoſo reſtitat, nouisque acceſſionibus noui quaſi lobi accreſcunt, &

calor

calor demum ſuperficiei tunicas inducit; hunc tamen modum eiusmodi generationis in aliquibus quidem, minime tamen in omnibus admittere poſſumus femellis. Tali enim ratione produci poſſunt corpora illa monſtroſa, quibus ſtolidae aniculae modo muris, modo porcelli aut catelli ſpeciem affinxerunt, prout memorabili quodam hoc confirmat exemplo HARTMANNVS *in Ephemerid. Natur. Cur. Dec. III. Ann. V. & VI. Obſeruat. 206.*

§. XLIII.

Taceo in praeſenti alias, quas alii reddiderunt, molarum cauſas. Sic enim, an a diuerſitate ſeminis, aut partium genitalium mariti, teſticulorum inprimis vitiis, vti IVCHIVS arbitratur; an ex muliebrium organorum erroribus; an ex congreſſu, menſtruo fluxu durante celebrato, trahi poſſint natales? in dubio relinquo. Dandus interim opinioni locus eſt.

§. XLIV.

Quo autem rectius in definiendis illarum rationibus concludere poſſimus, duo conſtituenda ſunt genera ſumma, quorum aliud *veras*, aliud *nothas* complectitur *a*). *Nothae*, placentas a priſtino partu ſuperſtites, mirifice nonnunquam mutatas, variae nempe compaginis ſarcomata, polypos, complectuntur, talesque, a figurae quadam ſimilitudine variis nominibus inſignitae, plures iterum in claſſes diſpeſci posſunt. Hinc alias earum deprehendes aquoſas *b*), quae nihil aliud ſunt, quam hydatides; alias carnoſas, ſolidioris ſubſtantiae, ad ſanguinis inſtar congrumati;

Digitized by Google

alias flatibus repletas; alias oſſeas *c*) &c. Imo dantur etiam quae exanimem varieque mutatum fetum, aut ſaltem illius continent rudimenta, de quibus conferatur GARMANNVS *de Gemellis & partu numeroſo Cap. I. §. 5.* Sic molam praegnantem, quae intra veſiculas membranaceas ſtamina fetus includebat, habent *Ephemerid. Natur. Curioſ. Decur. II. Ann. X. Obſeru. 157.* Aliam eiusmodi, in cuius ventre fetus repertus fuit, exhibet KERCKRINGIVS *Spicileg. anatom. Obſeru. 95. p. 184.*

a) De variis molarum ſpeciebus IVOHIVS exponit, loc. cit. pag. 8.

b) Vid. *Ioann. Phil.* EYSEL Diſp. *de Mola aquoſa, Erford.* 1716. Conf. BIDLOO *Obſervationes anatomicae* paſſim.

c) *Gerb. Rutg.* HANKOPFF Diſſert. *de Mola, occaſione molae oſſeae in vetula octogenaria inuentae, Goetting.* 1746.

§. XLV.

Ad veras autem nunc progredimur molas, quarum longe alia nobis detegenda eſt cauſa, & quam in ipſis inueniſſe credimus ouulis. Supra ſcilicet dictum fuit, triplicis potiſſimum generis ouula dari in ouariis contenta, *vera* ſcilicet, eaque vel *matura*, vel *immatura*, & *ſubuentanea*. Atque haec ipſa, ſiue immatura vera fuerint, ſiue ſubuentanea ouula, ab vtero recepta, molis dare credimus natales. Si enim ouulum verum maturum per auram fecundari poteſt ſeminalem, quidni etiam immaturum, quidni ſubuentaneum? Cum eadem valeat ratio, quam in maturis veris ſupra valere oſtendimus *a*).

a) Rationes ex parte, vi quarum explicari poteſt haec foecundatio, tradit HANKOPFF, Diſp. cit. §. XI.

§. XLVI.

Conſentit hac in re mecum ſaepe laudatus BONETVS a): *Fit*, inquiens, *mola, a ſemine virili, operante aliquando vi formatrice; indicio enim ſunt membranae, quibus integitur, ligamenta, venae, quibus in vtero alligatur, incrementum, &c. ita vt omnia habeat imperfecti conceptus ſigna, neque vnquam absque coitu concipi poteſt.* Corroborant ſententiam exempla, quae proſtant, cum fetubus perfectis inſimul molas etiam excluſas, hincque plura ouula vno coitu ſimul fecundata fuiſſe, cuiusmodi memorabile maxime HERTIVS exhibet, de femina illuſtri poſt editum partum multas excludente molas b).

a) *Sepulchret. anatom.* ſ. *Anatom. pract. Tom. II. Lib. III. Sect. 37. pag. 1360.*

b) *Ephemerid. Nat. Curioſ. Cent. X. Obſ. 23.*

§. XLVII.

Omnem vero hypotheſin noſtram illuſtrat atque corroborat adhuc magis, recte ſi ſentiam, exemplum ſatis curioſum, quod celeberrimo & experientiſſimo Viro debemus, *Friderico* BOERNERO, in Acad. Viteb. Medicin. Profeſſ. extraord. & Academ. Caeſar. Natur. Curioſ. Sodali, qui beneuole id nobiscum communicauit, quodue ſui ipſius verbis adiicere placet.

„Mu-

„Mulier, annos nata viginti tres, viro ante „biennium nupta, nunc primipara videtur. „Menſibus enim, qui ad hoc vsque tem„pus iuxta naturae fluxerunt leges, reten„tis, ſenſim abdomen incipit tumere. Ad„ſunt nauſea, vomitus matutinus, faciei pal„lor, mammae turgentes, lacteoque ſimilis „in iis liquor, & poſt aliquot menſes motus „ſentiuntur in abdomine, embryonis moti„unculas mentientes. Appropinquat prae„ſcriptum partui tempus, ſed partus nul„lus. Duodecimo menſe tumor ventris au„getur, durus eſt, ponderoſus, moleſtus. „Fetum igitur in vtero extinctum eſſe & „mater opinatur, & obſtetrix. Abeunt ſi„gna omnia in peius. Creſcit in dies abdo„minis inturgeſcentia, adeſt reſpiratio diffi„cilis, ingreſſus moleſtus, donec tandem, ad „rupturam vsque abdomine aucto, miſera, „cum decem & octo menſes ſic expleuiſſet, „fatis ſuccumbit.

„Data nobis a marito corpus defunctae ſecandi „poteſtate, reique ipſius curioſitate allecti, „qualis demum hic ſub herba lateat anguis, „duriſſimo abdomine inciſo, poſt effluxum „aquae flaueſcentis, odorem ſpirantis foeti„diſſimum, remotisque inteſtinis, prodit in „conſpectum vterus, valde extenſus, tumo-

„rem

„rem inſignem, capitis humani magnitudi-
„nem referentem, in ſe continens; & ecce!
„reſecto vtero atque inciſo transuerſim, mas-
„ſam informem, triginta vncias medicinales
„pondere aequantem, vaſculis ſanguineis vn-
„dique pertextam innumeris, placenta qua-
„dam cum vtero connexam, ſine tamen os-
„ſibus, in illo offendimus. Reliqua viſcera
„ſana nihil alebant monſtri.

§. XLVIII.

Docet hic caſus omnem molae indolem atque naturam. Cum enim vix ſit credendum, feminam hanc, honeſtam alias atque caſtitatis fama conſpicuam, antequam nupſerat, partum edidiſſe clandeſtinum, aut abortum paſſam fuiſſe, vt a placenta, inde relicta, mola haec exoriri potuiſſet; aliunde rem arceſſendam eſſe, quis eſt, qui non videat? Atque hinc putat nobiscum BOERNERVS, ouulum fuiſſe immaturum fecundatum, quod molae dediſſet originem.

§. XLIX.

Molae itaque nomen, vti generatim competit cuique ſolido corpori, quod in vtero humano praeter naturam haeret, illique innaſcitur; ita nobis illa eo inprimis ſignificatu venit, quod ſit maſſa carnoſa informis, vaſculis ſanguiferis vndique pertexta, os-

Digitized by Google

ſibus carens atque viſceribus, ex vitio ſeminis maſculini, aut ex ouulo vel vero, eoque immaturo, vel ſubuentaneo etiam quodam genita, ac nutrimento conſueto in notabilem magnitudinem euecta, ingentique moleſtia per aliquot menſes, interdum etiam per totum vitae circumgeſta decurſum.

§. L.

Signa, ex quibus diiudicare molam debemus, quoniam cum vero conceptu, vteri hydrope, alioue tumore vtplurimum habet communia, quamuis difficile ſit dare diagnoſtica eaque pathognomonica: non tamen fallet nos opinio, haec ſi poſuerimus. Molam gerens in vtero mulier, in progreſſu longe ſe peius habet, ſymptomata ingraueſcunt, vires magis languent, mulier ad inceſſum euadit grauior, artus gracileſcunt, dolor ventrem, dorſum & inguina ſaepe compungit, adeſt dyſpnoea, praeterea mola per ſe non mouetur, ſed duntaxat cum in alterutrum ſe reuoluerit mulier latus, tanquam pondus iners, aut lapidis inſtar, cum ſenſu grauitatis & interdum doloris etiam perceptione prouoluitur. Si vero mouetur, motus non eſt voluntarius, aut in omnem ſitum, vti in fetu adeſſe ſolet. Praeſente mola corpus in dies debilitatur. Augent ſuſpicionem, ſi tempus effluxerit pariendi, mammae ſine lacte tument, aut verum non adeſt lac, ob caloris in mammis defectum *a*), venter in omnem dimenſionem intumeſcit, menſes deficiunt, &c. *b*).

a) Vid.

a) Vid. *Ephemerid. Natur. Curioſ. Dec. II. Ann. IX. Obſ. 153.* Negat hoc ſignum BONETVS; affirmat autem *Georg. Rud.* BOEHMER, Diſput. *de Vteri conſenſu cum mammis, Lipſ. 1750.* Conf. HALLERVS *ad Boerhaau. Tom. V. P. III. pag. 438.*

b) Conf. BONETVS loc. cit. pag. 1361. adde HIPPOCRATEM, LOMMIVM, IVCHIVM, qui vbertim de ſignis molarum expoſuerunt.

§. LI.

Vti vero amica ſemper NVMAE POMPILII cum HIPPOCRATE eſt conſpiratio, atque legum interpretes frequenter exigunt a Medicis, vt rei explicent naturam; ita etiam circa hoc de molis, quod pertractauimus argumentum, duo inprimis poſtulant a Medico iudicia: Vel enim, an femina, quae mola laborat, coiuerit cum viro? vel, an iisdem illa, quibus grauida, gaudeat praerogatiuis? disquiritur.

§. LII.

In vtraque quaeſtione expedienda faciles eſſe poſſumus. Ad primam enim decidendam, non dubitamus affirmare, molas genuinas ſemper eſſe effectus praegreſſi coitus, & in maritatis quidem, nunquam autem inueniri in virginibus. Ad alteram vero reſpondendum eſſe, ſi quid valeat ſententia, iudico, illis, qui laborant mola, priuilegia deneganda non eſſe. Deliteſcente enim ea, atque primis potiſſimum menſibus

ſibus, omnia ea, quae conceptionem veram ſolent comitari, adſunt indicia, & non niſi ex temporis mora demum praeſentia molae eſt diiudicanda.

§. LIII.

Atque haec ſunt, quae de *Molis* diſputare congruum viſum fuit Specimini inaugurali edendo. Tu ergo, Lector beneuole,

ſi quid his rectius noſti,

candidus imperti; ſi non, his vtere mecum.

33 936 804

Digitized by Google

Digitized by Google